A. J. P.

DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

DYSENTERIA

QVAM PERMISSV

AMPLISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN ELECTORALI VNIVERSITATE HEIDELBERGENSI

SVB PRAESIDIO

VIRI

Nobilißimi Excellentissimi & Experientissimi,

DN. FRID. CHRIST. WINCLERI, D.

ARCHIATRI ELECTORIS PALATINI ET IN HAC VNIVERSITATE PROFESS. PVBL. PRIMAR. p. t. DECAN. SPECTATISSIMI

Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris ſui æternum colendi

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica honores, insignia & Privilegia Doctoralia rite consequendi

Publico Eruditorum Examini ſubjicit

JOH. CONRADVS Rapp/

Oringa-Hoënloicus

Ad diem 25. Januar. M. DC. LXXXI.

HEIDELBERGÆ,

Litteris SAMVELIS AMMONII, *VNIVERSIT.* Typogr.



CAP. I.

DE NOMINE.

CVm voces ſint ſigna rerum, & notiones primæ, ſecundis lucem dent; ex mente ſaniorum rectè nominis evolutionem Pragmatologiæ præmittimus. Dyſenteriæ nomen latina quidem civitate gaudet, ſed ex Græcia receptum eſt, uti pleraque nomina morborum in Pathologia. Componitur a. ex particula δὺς, quæ difficultatem quandam, uti in δυζορεξίᾳ, δυζυελίᾳ, δυστοκίᾳ, δυσπεψίᾳ, δυσπνοίᾳ &c. videre eſt: & a voce ἔντερα h. e. inteſtina: Itaque nomen acipit à ſymptomate, dolore ſc. & à ſubjecto, nempe inteſtinis. Celſus quidem alio nomine appellat, **Tormina** ſc. à torquendo, quia miſere homines torqueat. Hæc vox tamen generalis eſſe poteſt & ſymptomatice quoque de aliis dici, e.g. Colica, Ileo, ſuffocatione uterina, Diarrhœa, Cholere &c. Germ. **die weiſe oder die rothe Ruhr**/ &c.

CAP. II.

DE DYSENTERIÆ DESCRIPT.

Abjecto putamine jam ad nucleum. Deſcribitur igitur communiter Dyſenteria, quod ſit excretio alvi p. n. frequens & cruenta, ferè ſemper cum dolore ventris & inteſtinorum exulceratione: proveniens à materia acri, ſæpius maligna, inteſtina erodente.

Hic **Generis** loco ponitur excretio p. n. indeque ma-

 nifeſte

nifeste constat in Pathologia referri suo merito ad illam affectuum p. n. Classem, quæ symptomata continet: In iis a. non tam prompte ad actiones læsas aut qualitates mutatas, quam ad Symptomata excretorum & retentorum spectat. Est a. differentia huic excretioni addita, quod sit p. n. ne de naturalium excrementorum depositione possit intelligi.

CAP. III.

DE SUBJECTO.

Subjectum sunt ventriculus & intestina primario tenuia; quia ibi citius contagium & humorum major est concursus sc. bilis & succi Pancreatici, tum & humorum vitiosorum ab assumtis ibi sequestratorum: secundariò etiam crassa. Ventriculus & Intestinum Colon simul affecta & Sphacelata fuisse in Epidemica hujus loci dysenteria, Anatome docuit.

CAP. IV.

DE CAUSIS.

Causa Proxima sive **Immediata** sunt humores vitiosi, biliosi vel maligni, subsistentes, acriores redditi, intestina erodentes, fibras eorum irritantes & dilacerantes.

Mediatæ vero & **Propinquiores** sunt humores serosi biliosi tum ex Ventriculo, tum ex poro cholidocho & ductu Pancreatico sec. Franc. de le Boe SYLV. *Prax. Med. Append. Tract.* 10. *p. m.* 833. ad intestina affluentes, vitiosam fermentationem facientes.

Remotæ Causæ Naturales sunt 1. **Temperamentũ** calidum & siccum, quod ad hunc affectum producendum

valde

valdè proclive est: etiamsi de Temperamento frigidiore phlegmatico sc. ubi serum acrius excedit, concedi quoque potest.

II. Aetas: inprimis puerilis & juvenilis; hi enim (quia ingurgitationibus valde gaudent) istis affectum hunc concitantibus facile ansam præbent.

Nonnaturales 1. Aër calidus & siccus, æstivus; qui ambiendo ac inspirando suum contribuere potest; humores sc. excitando, rarefaciendo & fermentationem promovendo.

2. Cibi, qui humidi & frigidi horarii, immaturi Ventriculi coctionem depravant, eumque laxant, inflationes procreant, reliquos humores in intestinis præcip. duodeno bilem & succum Pancreaticum ibi confluentes inficiunt, & vitiosam fermentationem excitant. Hinc bilis ferocia augetur, humoresquè acriores redduntur; præcipuè si accedat usus aliorum per se mordacium & acrium, ut cæparum, allii, &c, it. valdè aromatisatorum. Et Potus si est vinum novum minus fermentatum ac depuratum, ut & cerevisia fæculenta, quatenus flatus excitare, humores vitiosos accumulare, digestioni nocere eamq; impedire possunt. Melch. SEBIZ. *in Spec. Pract. Part.* 4. §. 2. *c.* 18. inter causas externas numerat Esularum, Tithymalorum, & Mezerei genera: it. Colocynth., Scammonia, Ellebor. alb., Euphorbium &c.

3. Vigiliæ in excessu, quatenus corpus Spiritibus depauperando coctionem lædunt, mitiusque serum acrius reddunt & sanguinem accendunt.

4. Motus violentior statim post assumta alimenta institutus cruditates parit, spiritus exhaurit atque adeò ad generationem hujus affectus symbolum suum addit.

5. Excreta, si debito tempore non excernuntur sed

intus retinentur: (inprimis biliosa) regurgitant & concoctionem depravant.

6. **Animi affectus** immoderati, ut ira &c. effervescentiam producendo, maxime quoque lædunt.

Inter **Causas** p. n. sunt febres, ventriculi frigiditas, συμπάθεια, nec non defluxiones à partibus p. n. affectis.

CAPUT. V.
De DIFFERENTIIS.

Dysenteria alia est cum intermissione modo certo modo incerto tempore affligens, alia a. sine intermissione & continua: alia est maligna & contagiosa (epidemica,) alia minus talis: alia est cum febre & gravibus symptomatibus, alia est febris expers? Practici comuniter tres faciunt ejus gradus, *primo* mitem quæ parum differt à Diarrhæa, nisi quod majorem dolorem habeat, & differat ipsa materia excreta: *altera* est asperior, ubi intestinorum interior crusta & sæpe sanguis redditur: *tertia* est deterrima, quando ramenta simul excernuntur, quia facile sphacelus & mors subsequuntur. Huc locus HIPPOCR. in aph. 26. *S*. 4. Si â dysenteria detento veluti carunculæ successerint, lethale est.

CAP. VI.

DE SIGNIS.

Signa sunt vel Diagnostica vel Prognostica: *Illa* præcipua maxima ex parte in Descriptione sunt exposita: Est n. frequens excretio & quidem cum dolore, interdum ipso excretionis tempore, interdum etiam ante illud: atque ille non tan-

tum

tum ſentitur circa umbilicum, modo valde acutus, qui inteſtina tenuia affecta indicat modo magis obtuſus, qui craſſa, ſed & inteſtini recti. Excrementa ſunt pauca ſed bilioſa, primo mucoſa, alba, progreſſu v. temporis cruenta. Urina pauca ſed turbida & tartarea. *Hæc* Prognoſtica: Plerumque eventus & præſagium deſumitur ex actionibus, viribus ægrorum & morborum vehementia. Si igitur acciderit in juvenibus, viribus nondum dejectis, appetitu adhuc vigente, nulla præſente febre, neque lipothymia, neque convulſionibus, nullo vomitu bilioſo, excretione non continua, neque cruenta ſed mucoſa ſaltem; bene adhuc ſperandum. Si a. contrarium, contrario quoque modo ſe res habebit.

CAP. VII.
De CURATIONE

Curatio conſiſtit in morbi ipſius ablatione, tollitur autem remediis ex fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico petitis. Ex Chirurgico occurrit V. S. quæ tamen hic non adminiſtranda erit, niſi ſanguinis copia urgeat & affectus adhuc ſit in principio, vel ſi inflammatio, vel febris gravior ſuperveniat. V. S alii ſubſtituunt cucurbitulas, quarum uſum in certis caſibus experientia & ratio laudant.

Ex Pharmaceutico, pro diverſitate cauſarum, partis affectæ & aliarum cirumſtantiarum diverſa requiruntur auxilia, ſi enim Dyſenteria proveniat ex contagio, inſpiratione attracto, ſi fomes mali hæreat in ipſo ſtomacho, ſi adſit nauſea, ructus nidoroſus, vomitus, dolor ventriculi: Si æger ſit robuſtus, ſi huic excretioni ſit aſſuetus, ſi tempus ſit æſtivum, in

principio

principio Vomitorium quam maxime convenit; sæpe enim tali præsidio cum saburra corruptorum humorum eliminatur ipsum contagium: ubi v. in intestinis crassis materia morbifica hæret, ubi morbus jam est in statu, ubi natura non inclinat &c. Vomitoriorum usus haud raro lethalis est. *Vomitoria* vero illic conveniunt, non acria & diu inhærentiia ventriculo (cum talia tonum Ventriculi evertant & actonem ejus lædant) e. g. pul. subtiliss. rad. asari, ras. ungu. & simil. sed à quibus citiorem & tutiorem expectamus effectum, e. g. gum. g., vel Tart. emet. Mins. & his simil. Si ex fructibus crudis originem trahat Dysent. conveniat purgatio apta per alvum, quæ fieri poterit in principio Tamarind. Myrobal. & inprimis Rha Barb. flavo vero, quia non solum leniter purgat sed ob partes terrestriores siccat, materiam tenuem biliosam imbibit & aliquatenus adstringit, potest igitur exhiberi eius pulv ʒj ad ʒiß. in substantia, vel extr. à ℈i ad ℈iß. vel potius ol. rhab. coctum c. sir. viol. mixtum, quod semper felicissime & cum euphoria ægroti operatur, vel ℞. rhab. ʒiß coroll. r. ppt. ℈ß. cons. ros. r. ʒiij. M. f. Bol. Si ex humor. vitiosis adhuc influentibus hic affectus ortum habet, confert egregie Theriac. rec. aliaque à flatu quasi saltem ex Opio donata. Opium v. in majori dosi in hoc affectu omnino damnamus, cum Spiritus relictos magis debilitet vel plane suffocet. Si v. affectus proveniat ex humoribus jam præsentibus prodest Decoct. acetos. & portul. admixtis vitell. ov. & simil. de quibus statim. Conveniunt qq. quam maxime medicamenta alterantia, siccantia, modiceq; adstringentia, ut humores biliosi in intestinis fermentantes & effervescentes imbibantur ac præcipitentur, intestina c. Ventriculo sensim ac sensim confortentur, ulceraque eorum consolidentur. Ad hunc

hunc scopum faciunt inter alia Terra sigill. Lemn. bo arm. corall. cryſtall. præpar. smaragd. lap. 69. mand. luc. off. sep. rad. torment. symph. Tinct. corall. sacch. sive dulcedo Alumin. Agric. alabaſtr. cand. ℈j. in lacte capr. bibitum: Remediorum enim horum, uti infinitus fere numerus, ita singularis quoque dilectus à Medico conscientioso & docto invenitur pro variis ex his & aliis inveniendis formulis, quarum & nos ad aliquot usus probatissimas amice communicatas subnectemus. ℞. nuc. mosch. ʒj. fl. sulph. ʒij. camph. ʒß. infund. in ℥iv. Spirit. cydon. & extrah. l. a. Tinct. ℞. hujus Tinct. unc. ij. liqu. corall. per deliq. unc j. misc. serva l. a. S. Essentia dysenterica: dos. a. dr. j. ad dr. j. sem. in liqu. appropr.

℞. Spir. terr. sigill. Sal. terr. sig ā p. æqu. misc. dig. & circul. l. a. per dies 8. in B.M. vel B.V. S. Essentia terr. Sigill. ℞. mag. terr. sig. bol. arm. ā ʒß. mag. corall. r. sang. drac. ā ℈j. croc. ♂. ℥j. lap. hæmat. præpar. gr. xv. fl. diaph. Vitr. Antim. ℥ß. calc. off. hum. Talc. calcin. ʒj. M. f. pulv. dos. à ℈ß. ad ℈j. in phleg. Vitrioli: vel aq. pan. substant. vel aq. Pyror. sylveſtr. compos. vel Crollii pulv. dysent. vel Crügneri Sirub. torment. corallis. qui describitur **im Chymischen Frühling.** Vel essent. ♄, Vitrioli, quæ fit sequ. modo: ♄ granulat. extrah. c. Spir. Vitrioli l. a. postea præcipitatur pulv. niveus c. Spir. Vini rectificatiss. qui sedulo edulcoretur; Dos. à gr. ij. ad iv. Est præſtantissimum etiam medicamentum in Hectica.

Nec hic reticendi sunt *Clysteres*, in primis si materia peccans hæreat in inteſtinis crassis: ex illis v. requiruntur *partim abstergentes*, quales parantur ex hord. tosto, furf. ros. pariet. verbasc. malv. decoct. in cremore lactis capr. admix-

 to nulle

ro melle violato vel rosato, cum sero castrati hirci, nec non vitell. ov. & sacch. rubro. Partim v. etiam *anodyni*, qui possunt fieri e. g. ex fl. pap. err. chamom. verbasc. rad. alth. sem. lini &c. ubi vero dolor magis urget, nec his mitigari potest, addi possunt Opiata, nempe laud. op. ad gr. ij. vel iij., aut Philon. rom. ℈j. ad ℈iß. & tandem etiam requiruntur *consolidantes* & *adstringentes*, qui parari possunt ex rad. torment. symph. filipend. bistort. h. plantag. & simil. Vel ℞. ser. lact. chalyb. ℔. j. oryz. tostæ mj. coq. l. a. Colat. ℔ß. add. ol. ros. vel cydon. succi plantag. ā ℥j. bol. ʒj. f. l. a. Clyster.

Præsidium egregium in hoc affectu præstant quædam *externa*, ubi ex innumeris saltem quædam addidisse hac vice sufficiant. Illustre namque inter externa medicamentum est Ungu. viride Serenissi. cujusdam Principis, qui inventor illud in plus quam millenis expertus in secretis servat. Componitur vero ex lunaria minore ophioglossa, alchim. pilosell. plantag. sigill. Sal. sanic. ā viridibus & recent., quæ bene incisa & in mortario lapideo contusa coqu. in crem. lactis mens. 14. usque dum purum putum butyrum remaneat & omnis aquositas consumta sit: Hinc exprimitur fortiter ut viridescat: Usus hujus ungu. potissimus est pro inunctione spinæ dorsi, licet etiam eximium præstet effectum, si Clyster. consolidantibus ʒi. pond. admisceatur. Laudatur etiam ab aliis Fotus ex decocto persicar. in vino rubro ♂. chalybeato: hoc ipso nempe fotu per 2. dies sæpius adhibito se ipsum in adolescentia sua curavit haud infimæ sortis Medicus. Confert qq. si plantæ pedum in aceto, in quo scoriæ ferri extinctæ & coctæ postea fuere, diutius teneantur: Ventriculo consulere solebat in dysenteria epidemica

demica Anno 1661. Celeberr. Faufius fequ. Emplastro ℞. empl. de crusta pan., diacydon. f. ā ℥iv. pulv. nuc. mastich ā ℥ij. caryoph. Ind. ℥i. c. fucco absinth. & menth. nec non aceto rof. irrorata & postea expressa redigantur coqu. parum in Empl. cui balf. Peruv. in fine addatur. Vel uti possumus *Cataplasm.* fequ. ℞. Ther. Andr. rec. ℥ij. philon. rom. ol. nucistæ expr. ā ʒi. mag. terr. fig. ʒij. bol. armen. ʒij. præcip. ♂ʒiij extr. bistort. torment. āʒi. M. S. Über-schlag auff den Nabel: Et hæc ex fonte Pharmac.

Quoad **Dieteticum:** *Aer* aut natura aut arte fit temperatus. *Cibus* convenit neq; acidus neq; falfus neq; arom. multis conditus, modicus, debito tempore assumtus & vim aliquam adstringendi habens nec non euchymus & eupeptus. Laudantur Gelatina ex raf. C. C. & ichthyocolla &c. It. panis c. vino & cinamomo coctus & fimilia. *Potus* (fi febris absit) fit vinum, nec copiofum nec generofum, austerum, quale plerumque est rubellum. **Sennert.** fuadet potum ex bol. arm. & aliis paratum, It: Vinum vel aq. chalyb., ▽ in qua plantago & fim. cocta vel macerata fuere. Alii laudant lac caprin. chalyb. prodest præterea etiam decoct. hord. c. raf. C. C., mefpil. cydon. &c. Vel Decoct. mastich. in Vino coctum: Vel aqua vel vinum ex fruct. prunell. fylv. myrtill. raf. fantal. (cujus faltem una fpecies datur, cum reliquæ fint fpuriæ) rad. acetofæ & pauc. caryophyll. & cinnam. Commendatur & fuo merito Emulfio amygd. d. &c. Cæterum in lecto quiefcat æger & *Somno* quantam poffet studeat, nec unquam alvi *Excrementa* deponat, nifi fumma neceffitate ad id compulfus. *Animi* tandem *Pathemata* inprimis Iram omni studio & opera evitet, ut *Quies* jucunda non minus animo quàm corpori

concill.

concilietur atque adeo hic affectus prædictis vel similibus necessariis præsidiis DEO benedicente omnino eradicetur atque pristinus corpori vigor viresque integræ redeant. Et hæc ipsa sunt, A. L., quæ abituirentis summa festinatio spatio nimis angusto deproperare potuit. Tuum erit de hoc labore, tristitia perturbato animo peracto, benigne judicare: Neque enim, ut homo, humana à Te aliena putabis.

A. I. F. E.



AD NOBIL. atque CL. DN.

CANDIDATVM!

MOrborum sunt mille modi, sunt milleque mortes!
Et medicamentum sunt quoque mille modi.
Felix qui potuit morborum noscere caussas;
Sed magis est felix, qui bene reddit opem.
E cœlis est nostra salus, Superumque favore
E morbo in vitam præstat adire novam.
Hac virtute bona RAPPI quoque macte subinde;
Ut sunt mille neces; sint Tibi mille bona!

αὐτοσχιδιάσ?

effudit

GEORGIVS FRANCVS,
Vniversit. Pro-Cancellarius.